



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De libro Indulgentiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Instruct. Cancellaria.

De libro sacrarum Reliquiarum.

Habeat librum authenticum Sacrarum Reliquiarum totius Diocesis, sine ordine; etiam si in ecclesijs Regularium, & exemptis.

In eo hæc describat summam sine vlllo ordine.

Quomodo constet, & vbinam sint documenta de illis.

Quando translata.

Filciam etiam habeat processuum, & informationum scripturarum, & instrumentorum super iis.

Index sit multiplex.

Vnus ordine Sanctorum, quorum sunt sacre Reliquiæ.

Secundus ordine Metropolitanæ ecclesiæ, Portarum, seu Regionum Urbis, & plebium Diocesis.

Duo alii Alphabeticæ, scilicet,

Tertius ordine tituli cuiusque ecclesiæ.

Quartus ordine nominis locorum.

De libro Indulgentiarum.

Habeat librum Indulgentiarum authenticum sine ordine.

In eum librum redigat exemplum extensum omnium indulgentiarum, hæcenus quibusuis ecclesijs, etiam regularibus & exemptis huius Diocesis concessarunt, & que in posterum concedentur, à Sede Apostolica, vel alijs, siue in perpetuum, siue ad tempus quod nondum finitum sit, describendo ex literis concessionum.

Index quadruplex sit, vt dictum est supra de libro sacrarum Reliquiarum.

Item alius Index ordine dierum Anni, quasi ad modum Calendarii.

De libro Consecrationum, votorum, & funeralium.

Liber consecrationum.

Habeat librum authenticum consecrationum & benedictionum Ecclesiarum, Altarium, Cæmeteriorum, Campanarum, quæ per Archiepiscopum, seu per alios habentes priuilegium, de eius consensu fiunt in dies.

In hoc ponat diem consecrationis, titulum Ecclesiarum, Campanarum conse-

cratarum inscriptiones, aliave signa quibus distinguantur.

Reliquias item sacras Sanctorum reconditas in consecratione Altarium.

Dotationem etiam, & nomina personarum, quarum intuitu & petitione facta est consecratio Altaris, vel Ecclesiæ.

Item facultatem Apostolicam, cuius vi alii consecrant, & consensum Archiepiscopi ad hoc præstitum.

Librum authenticum Votorum, & piarum consuetudinum cuiusque populi, vel loci; tum etiam vniuersæ Diocesis, ex Prouinciali tertio.

Filciam probationum & Instrumentorum super eo.

Librum authenticum de usu quartæ funeralis inter Parochos, & Regulares, in singulis locis, ordine plebium, & Parochiarum; cum filcia probationum & informationum super eo.

Librum authenticum ordine simili, de usu omnium cuiusuis generis emolumentorum Cleri vario in funeralibus in singulis locis; aduertendo ad usum à duodecim annis supra, deinde ad augmenta facta post de facto auaritia Clericorum.

Filciam informationum super eo.

De libris relictorum & onerum ad pias causas.

Habeat librum authenticum, in quo describat extensè sine vlllo ordine loci, temporis, vel ecclesiæ, omnia instrumenta quæ colligi potuerunt vndecunque; præsertim verò à Cancellario vltimo, & alijs præcedentibus, in materia relictorum onerum ve ad pias causas, beneficiorum, capellarum: item altarium erectiones, dotationes, vniones, translationes, ac eorum onerum reductiones, commutationes, attributiones, & declarationes quauis auctoritate factas; omnia etiam pia relictà, etiam si ecclesijs regularibus & exemptis facta.

Item alium similem, in quo describantur quæ in posterum fiunt, vndecunque collecta.

Indicem habeant ij libri quintuplicem. In primo ponantur legata, donationes, & huiusmodi relictà pro missis.